



Prælide
Ferdinando Villier
Societatis IESV.
Defendente
Iohannatio Saltler.
Monacensi.

W. Küsel. Augsbur.



PRÆNOBILITACSTRENVO

DOMINO DOMINO.

CASPARO CHMID

Serenissimo Bavariae Prin-
cipi ac Electori à Consilijs
intimis &c.

Habet suam lucem, prænobilis-
ae strenue Domine, habet ra-
dios serena ac clara Veritas,
quibus illustrem facit, quem
illuminat. Quod enim de solari ho-
rologio legimus, si me sol aspicit, aspi-
cior, hoc æquo sibi jure Veritas ven-
ditat. Aspicit & suspicit orbis senten-
tiam, cui Veritas affulget, neque alium
aquilina ingenia solem adorant præ ve-
ritate. Verum quod ingenio veritas,
quod sol horologio, hoc tu, prænobi-
lis ac strenue Domine, Thesibus meis,
quaæ 12. Veritates veluti 12. diei horas
ambitu suo continent, exoreris; neque

A.

alte-

alterius (*præter te*) solis radios ambiunt:
ideo insignia quoque tua præferunt, ut
sicut tuis sub auspicijs, ita quoque sub
vmbra tuâ lucem videant, ac videantur.
Quas vtinam, *ut aspiciar*, benevolo re-
spicias obtutu. Ego certè nunquam
à progenie aquilarum degener, jussis
Paternis, exemplo germano, affectu
meo irretortos in tuam defigam lu-
cem oculos, tuos suspiciam insolitæ
Doctrinæ radios, te (quid ultra?) ado-
rabo SOLEM. Perge modò, sicut huc-
visque solitus es, meis mihiisque præno-
bili tuo diu affulgere splendore. Ita
voceo. Monachij Mense Augusto 1661.

Prænobili Dominationi Tuæ.

devinētissimus

Univ. BSB

IOANNES IGNATIUS
SATTLER.

CONTROVERSIA VNICA.

De Identitate ac distinctione.

Primario

An dentur præcisiones objectivæ.

AD LECTOREM.

Alige Lector si præcisiones objectivas in Logica aut negasti, aut admisisti indignari non potes, quod de identitate ac distinctione Logicus disputare audeam; utpote unde mihi primarium earundem repugnantia lumen affulget. Sic autem parsbor hanc controversiam, ut quadam axiomata in dubitata præmittam; subiungam dein fundamentum aliquod generale nempe conceptum identitatis, ex quo prater alias veritates primario deducam, non dars præcisiones objectivas.

AXIOMA I.

Identitas est eadem entitas.

Certum est axioma omnium consensu, ut patet & ex ipsa nominis Etymologia.

A 2

AXIO-

A X I O M A . I I .

Omnis Entitas creata includit perfectionem ac imperfectionem.

Paret ~~quia~~ omne creatum est à Deo & ex nihilo sui. A priori habet perfectionem; cum enim omne creatum sit effectus ac participatio Dei, & in Deo nihil sit nisi perfectum, erit necessariò participatio alicujus perfectionis. Apóstolori (à nihilo videlicet) habet imperfectionem. Et si nullam aliam participaret (ut ita loquar) haberet hanc, quod sit ab alio, eo ipso, quia, dum est ex nihilo, aliquando non fuit.

A X I O M A . I I I .

Omne creatum addito alio creato augetur.

Deducitur ex priori axiomate; cum enim omne creatum sit perfectio finita, crescit aliâ perfectione, quâ antea caruit, additâ. Ut nemo negat.

A X I O M A . I V .

Omne creatum comparativè ad aliud creatum est prædicatum æstimabile.

Ratio hujus axiomatis est, paulò ante axiōmate tertio assignata.

A X I O M A . V .

Perfectio in omni genere infinita quoad æsti-

æstimabilitatem augeri non potest
quacunque additâ perfectione.

Alias esset infinita & non esset, ut consideran-
ti liquet.

AXIOMA. VI.

Comparativè ad naturam perfectionis
in omni genere infinitæ nullum præ-
dicatum æstimabile est, quod de con-
ceptu non sit illius naturæ.

Fundatur in axiomate quinto. Nunc ad
fundamentum totius controversiae proceda-
mus.

§. I.

CONCEPTVS IDENTI- TATIS PROPONL TVR.

Identitas est tanta duorum communicatio,
quanta est communicatio unicuique eo-
rum respectu sui ipsius. Ita P. Sparza quæst.
4. art. 2. De Deo trino & uno; & cum eodem
quisquis terminos penetrat, v. g. homo
& animal rationale sunt idem inter se, quia
tò homo nullam continet perfectionem,
quam non communicet animali rationali &
vicissim animal rationale quidquid prædica-

torum continet, communicat homini, aeo ut homo tantudem perficiatur, & vicissim animal rationale ab homine, quantum perficitur utrumvis a seipso. Cujus rei indicium est, quod quidquid affirmatur de homine, illud etiam possit affirmari de animali rationali & econtra.

Probatur conclusio 1. Summa communicatione prædicatorum est summus consensus in prædicatis, summus consensus in prædicatis est summa unitas, summa unitas est eadem entitas, eadem entitas est identitas: ergo a primo ad ultimum summa communicatione prædicatorum est identitas.

Probatur 2. Identitas, ut ipsum vocabulum sonat, est eadem entitas, sed per summam communicationem prædicatorum duo sunt eadem entitas, ergo per summam communicationem sit identitas. minorem probo: per summam communicationem prædicatorum sit, ut sicut est verum dicere A est A, ita sicut etiam verum A est B, & vicissim, quam verum est dicere B est B, tam verum sit B est A, sed A & A sunt eadem entitas, ut ex terminis evidens est, ergo per summam communicationem prædicatorum duo sunt eadem entitas. Major licet penetranti per se sit clara, probatur: Tunc duo mutuo summe communicantur, quando A ita communicat se ipsi B, sicut A communicat se sibi met;

met, tunc veluti est verum dicere A est A, ita etiam erit verum dicere A est B, ergo per summā communicationē fit, ut sicut est verum dicere A est A, ita sit etiam verum A est B. & vicissim.

Confirmatur : ideo identitas specifica est major unitas secundum omnes, quām identitas genericā, quia magis accedit ad unitatem numericam ; sed ideo magis accedit ad unitatem numericam, quia inter duo eiusdem speciei est major prædicatorum communicatio & consensus, quām inter duo ejusdem quidem generis, non verò ejusdem speciei ; ergò inter quæ est major communicatio, est major unitas ; & consequenter si est summa communicatio, est summa unitas ; sed summa unitas est eadem entitas, & eadem entitas est identitas, ergò iterum à primo ad ultimum : ubi est summa communicatio est identitas, quod erat demonstrandum.

Ex dictis præsertim ex 2. probatione patet, identitatem realem duorum prædicatorum à posteriori definiri posse, quod sit summa & vera eorundem de se mutuò affirmabilitas in resto. Tunc autem inter A & B est summa affirmabilitas, quando ita verum est dicere A est B, sicut verum est A est A & vicissim. Tantæ verò affirmationis fundamentum est summa conceptū objectivorum communicatio. Nam ut S. Thomas & Aris. multis in locis habent, & declaratur in lib. de animâ, intellectus cognoscendo fit omnia ; quod

nihil aliud est, quām intellectum per suas cognitiones imitari res ipsas. Quandocunque ergo intellectus per suam affirmationem ita unit A cum B, sicut unit A ipsi A, indicium est, ipsum A realiter quoque ita se unire ac communicare ipsi B, sicut communicat se sibi. Et hæc de conceptu identitatis.

Dices: Identitas non est definibilis, nec clarius potest explicari quām per se notum sit, quid sit esse idem, ergo incassum laboravimus in elaborandā definitione identitatis. Anteced. quoad 1. partem probas: nulla potest fieri definitio, nisi sciatur definitionem esse idem cum definito, ergo ante definitionem identitatis, jam debo scire quid sit idem cum suo definito, & consequenter jam ante definitionem identitatis scio, quid sit identitas, ergo per definitionem non potest clarius explicari natura identitatis.

Respondeo hanc objectionem probare, quod neque genus, aut essentia alicujus rei aut ipsa definitio aliaque similia possint definiri, sed qui nimium probat, nihil probat. Respondeo itaque 2. directè, ante definitionem identitatis debere præcognosci identitatem perfectè ac clarè nego, imperfectè ac confusè concedo; plus non probat objectio. Cæterum fateor, etsi noster conceptus identitatis allatus non esset clarior definito, esset tamen cum identitate convertibilis, ut consideranti & penetranti terminos evidenter

pate-

patebit, quod mihi sufficeret ad meum intentum, ac veritates, quas postea inferam, demonstrandas.

§. II.

Dividitur Identitas.

Alia est identitas intentionalis seu rationis, & realis alia. Prior est summa duorum prædicatorum communicatio etiam quoad conceptus. Talem identitatem rationis habent, quæcunque cognitione comprehensivâ innotescunt.

Identitas realis superius à nobis jam definita subdividitur in adæquatam & inadæquatam. Identitas adæquata est duorum inter se communicatio, tam intensivè quam extensivè summa, id est, communicatio quoad omnia omnino prædicata. Qualis intercedit hominem inter & animal rationale, Item inter gradus metaphysicos animalitatem v. g. & rationalitatem; quia animalitas totidem prædicata communicat rationalitati; quot communicat sibi ipsi, saltem in communiora sententia non admittente distinctionem virtualem intrinsecam inter gradus metaphysicos.

Econtra identitas inadæquata est solummodo intensivè summa non autem extensivè, seu: est communicatio summa in ordine ad prædicata æstimabilia tantum, non vero inæstimabilia. Prædicatum æstimabile acci-

pio h̄ic comparativē ad illud, cui communi-
catur; potest enim fieri, ut aliquod prædicata-
tum secundum se spectatum sit valde æstima-
bile, non verò comparativē: si nimirum il-
lud, ad quod comparatur, per ipsius commu-
nicationem non fiat melius, aut æstimabilius,
eò quod aliunde iam habeat hanc ipsam perse-
ctionem. Talia prædicata comparativē in-
æstimabilia sunt personalitates divinæ respo-
ctu naturæ: sive enim illæ ex conceptu dicant
perfectionem, sive non dicant (de quo Theo-
logi) per communicationem personalitatum
natura divina non potest fieri melior: quan-
doquidem divina natura ex conceptu suo est
infinita in omni genere perfectionis, ergò in-
dependenter à personalitatibus jam est om-
ne bonum quoad conceptum naturæ infinitas;
ergò per harum communicationem non fiat
melior aut perfectior: mihi enim ex terminis
evidens est, infinitum in omni genere per-
fectionis non posse crescere per additionem
alterius, quia esset infinitum & non esset, ut
patet consideranti. Cūm hoc tamen stat, na-
turam divinam per identitatem cum perso-
nalitatibus crescere extensivē: id est, naturam
secundūm se spectatam non habere tot præ-
dicata, quoū habet natura cum Filiatione v. g.
etsi per hujus additionem non crescat intensi-
vē, id est: non fiat entitativē melior. Itaque
Identitas inadæquata, seu tantūm intensivē
adæquata est; quando duæ formalitates se

mu-

mutuò ita communicant, ut, licet quælibet sit
tam bona quam utraque simul, una tamen
habet plura prædicata quam altera. v. g. in
Deo (necessè est hoc uti exemplo Theologico,
quia in creatis repugnat identitas inadæqua-
ta, ut infra probabo) in Deo, inquam, pa-
ternitas per identitatem cum naturâ divi-
nâ tam bona sit, quam bona est utraque si-
mul; licet aliquid dicatur de natura divina,
nimis quod sit filiatio, & hoc dici non pos-
sit de paternitate. Vnde natura divina & pa-
ternitas sunt quidem realiter unum & idem,
discrepant tamen in tertio prædicato nempe
in Filiatione, quæ de natura divinâ affirma-
tur, & negatur de paternitate eidem naturæ
identificatâ; Quod est virtualiter intrinsecè
distingui, ut postea dicemus.

§. III.

Quid & quotuplex sit distinctio.

Quandoquidem identitas consistit in summa
prædicatorum communicatione, ideo
identitati opposita duorum distinctio consi-
stet in opposito. Itaque Definitur distinctio
in genere, quod sit recessus duorum à summâ
communicatione. Seu ; divisio ac dissensus
duorum in aliquo prædicato. Vel denique à
posteriori definiri potest : quod sit negabili-
tas in recto unius de alio. Nam duo posse de-
se invicem negari, evidens signum est eorum
inter se divisionis ac distinctionis sicut duo de-

se invicem affirmare signum certum est eorumdem inter se summæ communicationis ac identitatis.

Distinctio sic definita dividitur in distinctionem realem ac intentionalem, seu rationis. Distinctio rationis seu merè extrinseca duplex est, alia formaliter praescendentium, & alia praescendentium objectivè. Prior præcisio, formalis dicitur. Posterior præcisio objectiva, distinctio Thomistica, & distinctio virtualis minor appellatur. Discrimen inter utramque est, quod admittens præcisiones objectivas concedat, eadem cognitione animalitatem v. g. hominis cognosci non cognitam alterà formalitate priori identificatam, rationalitate nimirum. At, qui defendunt præcisiones formales, negant & pernegant fieri posse, ut eadem cognitione idem realiter cognoscatur & non cognoscatur, adeoque implicare, cognosci animalitatem hominis non cognitam per eandem cognitionem rationalitatem.

Distinctio realis seu intrinseca ac independens ab intellectu est recessus duorum à summâ communicatione prædicatorum realium, seu prædicatorum independentium ab intellectu. Dividitur tripliciter videlicet in realem immediatam, quæ subdividitur in absolutam, modalem, 2. indistinctionem scotisticam, seu ex naturâ rei, quam quidem hujus distinctionis inventores realem dici nolunt. 3. in distinctionem realem mediataam, seu virtualem intrinsecam maiorem,

jorem. Differunt inter se , quod distinctio realis immediata sit dissensus duorum quoad omnia omnino prædicata, distinctio verò virtualis sit recessus à summâ communicatione non nisi ad unum alterumque prædicatum. distinctio denique scotistica sit communica-
tio quidem summa intensivè faltem, & simul etiam dissensus quoad omnia, licet non realis, ut ipsi quidem dicunt , independens tamen ab intellectu.

Ostendo omnia in exemplo , si quis diceret, gradus metaphysicos animalitatem v. g. & rationalitatem in nullo prædicato convenire, ille talis admitteret inter hos gradus distinctionem realem. Contra qui dicit rationalitatem & animalitatem identificari quidem realiter, esseque adeo eandem rem, eo tamen ipso quod diversas subeant definitiones descriptiones reduplicationes ante omnem operationē intellectus, unā esse extra rationem alterius, aut certè unam non esse alteram formaliter ex natu- râ rei, independenter ab intellectu , ille talis admittit distinctionem scotisticam. Qui denique asserit animalitatem & rationalita- tem nullo modo extra intellectum esse aliud & aliud, nihilominus tertium aliquod præ- dicatum v. g. sentire esse idem cum animali- tate, non tamen identificari cum rationalita- te, licet à parte rei omnino idem sint & nul- lo modo aliud (in quo solo differt hæc sen- tentia à priore : nam prior admittit animalita- tem

tem & rationalitatem in homine, & in Deo
paternitatem & naturam divinam esse aliud
& aliud, et si realiter idem sint hille talis, in qua,
admittit distinctionem virtualem inter gradus
metaphysicos. Quamvis valde credibile sit,
Scotum & Scotistas per tò aliud & aliud plus
non admisisse, quam distinctionem virtualem
intrinsecam majorem.

§. IV.

VERITATES

Deductæ ex conceptu Identitatis.

EX conceptu Identitatis deducuntur innu-
meræ veritates : nos inde has potissimum
inferemus. v. g. quod repugnant præciso-
nes objectivæ, item distinctio virtualis intrin-
seca in creatis, & à fortiori scotistica. Misce-
bimus autem alia quoque principia, quæ et si
per se abunde nota sint ; si tamen à quopiam
negarentur, ut pateat ratio à priori, per quam
demonstrari possint. Neque mirum est, mul-
tas veritates ex terminis evidentes in concep-
tu identitatis fundari, quandoquidem est
proximus, si non idem cum principio me-
taphysico amplissimo ac evidentissimo,
Idem non potest simul esse, & non esse. Nihilo-
minus afferendis multò plures veritates præ-
tergrediemur ob chartæ angustias partim, par-
tim etiam quia institutum nostrum plus æquo
excedunt. sit itaque

I. Ve-

I. VERITAS.

IDENTITAS & distinctio necessariò sunt mutuæ, v. g. si A identificatur cum B necesse est, vicissim B identificari cum A. Et si A distinguitur à B, non potest non mutuò B distinguiri ab A.

Demonstratur veritas ex allato conceptu identitatis : si A identificaretur cum B & non mutuò, tunc A esset idem cum B & non esset idem, consequens repugnat, ergo & antecedens. Sequelam ostendo : esset idem, ut dicis. Non esset idem, quod probo : Identitas est summa prædicatorum communicatio, sed si B vicissim aliquod prædicatum non communicaret, non esset summa communicatio inter A & B, ergo nec identitas, ergo essent idem & non essent idem, quod licet per se satis notum sit, erat tamen ex conceptu identitatis demonstrandum.

Hoc principio nititur conversio propositionum, A est B, ergo B est A, homo est animal rationale, ergo animal rationale est homo. Imo non tantum conversio simplex, sed etiam conversio per accidens; omne animal est vivens, aliquod vivens est animal. Et conversio per contrapositionem : aliquis Lapis non est homo, ergo aliquis non homo non est non Lapis, ut patet obiter consideranti.

Notare hoc volui, ut advertant Logici, multum obesse Logico, si ignoret conceptum iden-

identitatis, sine quo ægrè demonstrabit à priori infallibilem consequentiam à convertente ad conversam.

I I. VERITAS.

Implicat distinctio virtualis in creatis.

Distinctionem virtualem ex dictis paragr. 2. cum P. Esparza definio quod sit identitas duorum cum discrepancia in tertio. Quod autem repugnet in creatis sic probo. Si in creatis daretur distinctio virtualis intrinseca v. g. inter A & B, tunc A & B essent idem & non essent idem. probo sequelam: Nam quod essent idem, iterum tu ipse fateris, hoc nimirum est de conceptu distinctionis virtualis intrinsecæ. Ego autem ulterius Progredior, ut evincam ex conceptu Identitatis, quod non essent idem, hoc modo: Illa non sunt idem realiter, quorum utrumque non se communicat alteri sicut sibi, sed si tertium aliquod prædicatum, quod affirmatur de A, potest negari de B, tunc A non communicat se ipsi B sicut se tibi, ergo in tali casu A & B non sunt idem realiter. Major est definitio identitatis probata paragr. 1. minorem probo: communicare se A ipsi B sicut sibi, est B per hanc communicationem fieri tam bonum, quam sit ipsum A, ut ibidem demonstravimus, sed si A communicatis cæteris unicam perfectionem non communicat eidem B, tunc B non est tam bonum quam A, quia A secundum unum prædicatum est melius, ergo in

in tali casu A non communicatur ipsi B sicut
sibimet, ergo non est idem cum B, quod ite-
rum erat demonstrandum.

Dices: In Deo fieri potest, ut natura divina
communicet se summè paternitati, licet ei-
dem non communicet Filiationem, sibi iden-
tificatam, ergò etiam in creatis fieri poterit, ut
A summè communicetur ipsi B, quin tertium
prædicatū C, sibi identificatum eidem B com-
municet. Respondeo negando consequen-
tiā & paritatem ob infinitatem perfectionis,
quæ est de conceptu naturæ divinæ, & con-
tra conceptum creaturæ, de cuius essentia est
esse finitum, limitatum, defectibile. Ideo

Probatur secunda hæc veritas 2. Cur in Deo
evidenter non implicet distinctio virtualis in-
trinsicæ, causa unica est infinitas omnium per-
fectionum, sed in creatis evidenter repugnat
perfectio in omni genere infinita, ergo in
creatis evidenter repugnat distinctio virtua-
lis intrinsicæ.

Ne autem gratis videar hanc disparitatem
adduxisse, eam confirmo ex conceptu identi-
tatis, in quo fundatur disparitas, cur in crea-
tis implicet, non vero evidenter repugnet in
Deo distinctio virtualis intrinsicæ, hoc modo:
In Deo non implicat naturam & paternitatem
communicari sibi mutuò communicatione
intensivè quidem summâ, non verò exten-
sivè, sed hoc est distingui virtualiter intrin-
sece, ergo in Deo non implicat naturam &

pater.

paternitatem v. g. distingui virtualiter intrin-
secè. minorem non probo, quia clara est intel-
ligenti terminos paragr. 2. explicatos. Probo
Majorem. Natura divina communicando om-
nes perfectiones simpliciter simplices paterni.
tati, non communicatà licet filiatione, facit
paternitatem tam bonam, quam est ipsa natu-
ra divina; quia per filiationem non potest
fieri melior ut sit. §. declaravimus, sed hoc est
communicari intensivè summè, non vero ex-
tensivè, ergo in Deo non implicat naturā &
paternitatē communicari sibi mutuo, communi-
catione intensivè summā, non vero extensivè.

Subsumo: atqui in creaturis repugnat hæc
communicatio inadæquata, ergo in creatis
repugnat distinctio virtualis intrinseca. An-
teced. probo. de conceptu cuiuslibet prædi-
cati creati, eo ipso, quod sit finitum ac limi-
tatum est, per additionem alterius prædica-
ti augeri non tantum extensivè, quod plura
de eo dicantur, sed etiam intensivè quoad
æstimabilitatem & perfectionem, quia fini-
tum crescit & augetur per alterius finiti ad-
ditionem, sed hoc pugnat cum conceptu com-
municationis inadæquatæ; ergo conceptus en-
tis creati pugnat cum conceptu communica-
tionis inadæquatæ. minorem ostendo: de con-
ceptu communicationis inadæquatæ est, A
v. g. per B, licet non communicato tertio
prædicato C, fieri tam bonum, quam est ip-
sum B. Sed in creatis si B non communicaret



ipſi

ipſi A tertium prædicatum C, ipsum A num-
quam fieret tam bonum, quam B, propter de-
fectum tertij prædicati, per quod ipsum B in
perfectione augetur, ac crescit; ergo B in tali
casu nunquam se communicaret ipſi A sicut
ſibimet, quod est contra conceptum commu-
nicationis etiam inadæquatæ, ſeu diſtinctio-
nis virtualis intrinſecæ, ergo in creatis repu-
gnat diſtinctio virtualis intrinſeca, non verè
in Deo, quod erat declarandum.

III. VERITAS.

Non dantur Præcificationes objectivæ.
Probatur i. hoc modo: animalitas & ra-
tionalitas ſunt eadem realiter entitas, ergo
implicat cognosci animalitatem non cognitâ
rationalitate, ergo eadem ratione, quâ co-
gnoscitur animalitas, cognosci necessariò
debet rationalitas, ergò repugnat animalita-
tem objectivè præſcindi à rationalitate. An-
tecedens ſupponunt mecum adversarij ut
certum, conſequentias urgeo hoc ſyllogismo
expositorio: Hoc animal cognoscitur cog-
nitione A, hoc rationale eſt realiter hoc ani-
mal, ergo hoc rationale realiter cognoscitur
cognitione A, quod tamen in terminis negat
P. Comptonus hic diſ. 24. conſequentia eſt
legitima; antecedens verum.

Probatur secundò. Eandem formalita-
tem realiter cognosci & eandem (formalit-
atem realiter non cognosci ſunt contradic-
toria, ſed hoc admittunt adversarij, ergò ad-
mit-

mittunt contradictoria. minorem probo. in
primis admittunt hanc propositionem : haec
animalitas realiter cognoscitur cognitione A,
sed etiam hanc admittere debent, haec ani-
malitas realiter non cognoscitur cognitione A,
ergo admittunt adversarij eandem formali-
tatem realiter cognosci & non cognosci. mi-
norem iterum probo per syllogismum in Fe-
rio : nulla rationalitas realiter cognoscitur
cognitione A ; ut fatetur Comptonus loc. cit.
sed haec animalitas realiter est rationalitas,
ergo haec animalitas realiter non cognoscitur.
ergo haec animalitas realiter cognoscitur, &
non cognoscitur, quod erat demonstrandum.

Respondent esse tantum contradictoria ex-
trinseca & intentionalia, non intrinseca aut
physica.

Quasi vero non ex eodem fundamento o-
mnia contradictoria repugnarent, sive deinde
sint extrinseca sive intrinseca, quod nimis
nihil sit positio & exclusio sui ipsius. Vnde ipsi-
met adversariorum Doctissimi P. Izquierdo
& Lyncaus explodunt hanc responsionem,
quorum ille aperte eam rejecit, alter vero ad
distinctionem virtualem confudit.

Contra II. Omnis contradictionis admittit
idem simul esse & non esse, sed contradictionis
extrinseca est contradictionis, ergo admittit idem
simul esse & non esse v. g. cognitionem A
esse, & non esse cognitionem ejusdem realiter
entitatis, quod est ex terminis absurdum.

Con-

Contra IIII. sunt intrinseca, ergo non tam
tum extrinseca. Probatur antecedens : quan-
do verum est (ut adversarij volunt) cogni-
tione A cognosci animalitatem & non ratio-
nalitatem, tunc verum etiam est, animalita-
tem posse cognosci cognitione A, id est ; ani-
malitatem terminare cognitionem A, non
vero rationalitatem. seu ; animalitatem esse
capacem, ut terminet cognitionem A : econ-
tra rationalitatem non esse capacem formalis-
tatem, quæ terminet eandem cognitionem A ;
sed animalitatem terminare, & esse cogno-
scibilem cognitione A, non vero eadem co-
gnitione esse cognoscibilem formalitatem ra-
tionalitatis sunt intrinseca contradictoria ipsi
animalitati & rationalitati, ut patet : nam tò es-
se verum seu cognoscibile est proprietas entis.
ergo qui concedit extrinseca, eo ipso admittit
intrinseca contradictoria, Quod si velis con-
fugere ad duas formalitates ; ac si contradicto-
ria non essent, quæ licet supra eandem realiter
entitatem cadant, non vero supra eandem for-
malitatem, actum agis, ut liquet penetranti
allatas probationes. Deinde sive duæ sint sive
centum formalitates ex conceptu identitatis
demonstro, repugnare unam cognosci posse
non cognitâ alterâ identificatâ. Itaque.

Probatur IIII. Ex conceptu identitatis im-
plicat distinctio virtualis intrinseca major, ut
demonstratum est veritate 2. sed ex practicio-
nibus objectivis evidenter sequitur distinctio

vir

virtualis intrinsecā major, ergo ex conceptu
identitatis implicant præcisiones objectivæ.
minorem declaro : Ex præcisionibus obje-
ctivis sequitur duo identificata discrepare in
tertio prædicato, quod de uno eorum pos-
sit affirmari, & de altero negari; videlicet a-
nimalitatem posse cognosci cognitione A, ra-
tionalitatem non posse cognosci cognitione
A, sed hoc est distingui distinctione virtuali
intrinsecā majore, ergo ex præcisionibus ob-
jectivis sequitur, duo distingui allatā distin-
ctione, quod est chimæricum,

IV. VERITAS.

Repugnat distinctio Scotistica:

Est certa mihi veritas : vel enim concedis
duas formalitates realiter identificatas juxta
tuam sententiam & ex naturā rei distinctas,
vel, inquam, concedis eas esse mutuò
inseparabiles, adeoque animalitatem v. g.
nullibi posse reperiri sine rationalitate ac vi-
cissim. Vel dicas eas esse separabiles non mu-
tuò, ita ut rationalitas quidem nunquam
poterit existere sine animalitate, potuisse tamen
animalitas hæc ipsa reperiri sine rationa-
litate in equo v. g. Quidquid dixeris, falsum
esse ex conceptu identitatis, mihi clarum est.

Si enim 2. concedas, loqueris contra ve-
ritatem, 1. superius demonstratam, ubi evi-
denter ex conceptu identitatis probavimus
iden-

identitatem & distinctionem esse mutuas,
alioquin idem esset & non esset, caderet
que fundamen^{tum} conversionis Logicæ ab
omnibus concessæ, notæque ex terminis;
nec repeto. videatur veritas prima.

Si primum dicas, videlicet animalitatem
& rationalitatem esse mutuo inseparabiles &
realiter identificatas, nihilominus ex naturâ
rei seu ante operationem intellectus aliquo
modo distinctas. Contra sic argumentor.
Identitas realis est summa prædicatorum in-
dependentium ab intellectu communicatio,
sed talis summa communicatio juxta tuam
sententiam non datur inter animalitatem &
rationalitatem, admittis enim insuper aliquam
distinctionem ipsis intrinsecam, ergo neque
identitas.

2. Ibi non est distinctio realis, ubi est
summa communicatio, sed inter anima-
litatem & rationalitem est summa commu-
nicatio, ergo inter illas non est distinctio rea-
lis. Si negas minorem, admittis distinctionem
virtualem intrinsecam. Major fundatur in
conceptu identitatis, consequentia est le-
gitima.

3. Quandocunque duo sunt distincta inde-
pendenter ab intellectu, possunt de se invicem
negari, quia intellectus per suas cognitiones
imitatur naturas rerum, ut certum est expe-
rientiâ, ratione & Auct^o tam S. Thomæ quam
Aristotelis, sed gradus Metaphysici non pos-
sunt.

invicem negari , alias eadem res de eadem
posset simul & affirmari & negari , quod
est impossibile , ergo impossibilis est distinc-
tio scotistica ex natura rei in creatis . Dixi in
creatis , nam quod pariter in Deo implicetur
probant Theologi .

V. VERITAS.

Non datur inter gradus metaphysicos di-
stinctio realis .

TUrpiter (non mea hæc crux est sed P.
Sebast. Izquierdo in pharao scientiarum)
erraverunt Neoterici quidam , hujus ætatis
abutendo vocabulo identitatis , quod tribu-
unt extremis realiter distinctis inseparabili-
bus mutuo ; cum tamen sola inseparabilitas
mutua extremonum ne minimam quidem tri-
buat ipsis extremis identitatem , quandoqui-
dem licet sint inseparabilia , unum tamen à
parte rei ita non est aliud in horum AA.
sententiâ , ut ne unum quidem prædicatum
communicent sibi mutuo : prout requiritur ad
identitatem , ut ex terminis ipsis patet & ex
conceptu identitatis . Ne autem videar ver-
bis magis quam ratione eam impugnare , sic
eam Urgeo breviter ex meis fundamentis . Mu-
tua affirmabilitas est certum signum commu-
nicationis , ut ostendimus parag . 1 . atque inter
gradus ejusdem suppositi est mutua affirma-
bilitas ex omnium sententia , quia apud om-

nes veræ sunt hæ propositiones petrus est hic
homo, hæc animal, hoc vivens, hoc cor-
pus, hæc substantia, hoc ens & vicissim, ergo
inter gradus metaphysicos ejusdem suppositi
est summa communicatio, ergo identitas
propriè dicta & incompossibilis cum distin-
ctione reali. Sed nolo immorari sententiae
reiciendæ cujus forsitan pænitet inventio-
rem.

VI. VERITAS.

Impossibile est, aliquem effectum à par-
te rei esse effectum unius formalitatis
identificatæ cum causa, & non simul
alterius cum eâdem identificatæ.

Nam alioquin unum prædicatum affirma-
retur de unâ formalitate, & negaretur de
alterâ priori identificata, quod esset, duo iden-
tificata diserepare in tertio, seu virtualiter in-
trinsecè distingui. Hoe autem repugnare in
creatibus demonstratum est veritate. 2.

2. Ex conceptu itaque identitatis demon-
stratur, non posse unam formalitatem esse cau-
sam alicujus effectus, quin ejusdem causa sit
omne identificatum cum illâ, v. g. animalitas
hominis non potest esse principium sensatio-
num, quin earundem principium sit rationa-
litas. Quando ergo dicere solemus ; homi-
nem ut animal sentire, & ut rationalem ra-
tiocinari, non tamen econtra : ut proposicio-

nes veræ sint, debent accipi in sensu formalis
non autem reali, de quo in solutione obje-
ctionum.

VII. VERITAS.

Quæ realiter identificantur, non sunt se-
parabilia quoad locum, aut tempus.

*[Ta aris. l. 7 Topit. c. I. loc. 15. cum dixit Am.
plius si potest altero esse (scilicet in tem-
pore vel loco) non erit idem.]*

Hæc veritas, præterquam quod etiam ex
terminis satis sit evidens, demonstratur per
conceptum identitatis. Nam si quæ sunt in-
ter se eadem quoad tempus, separarentur
fieret, ut se mutuò summè non communica-
rent, & consequenter non essent idem. Idem
dico, si separarentur loco. Nam prædicatum;
quod est in hoc loco, vel hoc tempore
durare, non communicaretur utriusque; adeo
que unum non esset tam bonum, quam ei
utrumque simul, & consequenter non se
summè communicarent mutuò, neque iden-
tificarentur.

VIII. VERITAS.

Quæ semel sunt idem, in quocunque
subjecto est unum eorum, & alterum
esse, necesse est, & ubique deest
unum, & alterum deesse, necesse est.

Sequitur hæc veritas ex priore, & est clara
pene.

penetranti conceptum Identitatis. Subsumo : sed animalitas Petri per cognitionem sui est in intellectu, & in eodem intentionaliter subjectatur, ergo & ipsi identificatam rationalitatem in eodem per eandem subjectari necesse est. Ecce novum argumentum vel potius antiquum aliter propositum, quo præcisions objectivæ reiciuntur.

IX. VERITAS.

Quod semel est idem semper est idem.

Et quod ab aliquo semel est distinctum, semper est distinctum.

Es istud axioma ex ipsis terminis evidens. Nam patet, identitatem distinctionemq; realem non contingentia, sed necessaria omnino prædicata esse earum rerum, quibus convenientur. Nihilominus clare illud deduco ex prædictis: si enim, quod semel est idem, non semper esset idem, tunc id fieret vel quoad tempus, vel quoad locum, vel quoad subjectum, sed nihil horum fieri potest juxta veritatem septimam & octavam, ergo quæcunque semel sunt idem, semper sunt idem. Præterea hæc ipsa veritas immediate, demonstrari potest ex conceptu identitatis, quod tamen considerandum relinquo ob chartæ angustias.

X. VERITAS.

Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Et : Quæcunque sunt

distincta in uno tertio, sunt distincta inter se.

HVJUS AXIOMATIS INFALLIBILITAS IN CREATIS DEMONSTRATUR EX CONCEPTU IDENTITATIS. Si duo praedicata creata, verbi gr. A. & B. essent eadem uni tertio C, & tamen distincta inter se, tunc A & C, inter se identificata discreparent in tertio praedicato B, quod affirmatur de C & negaretur de A, sed hoc esset A & C distingui virtualiter intrinsecè, quod implicat, ut ex conceptu identitatis probavimus. Ergo ex conceptu Identitatis implicat, duo esse eadem vni tertio & distingui inter se, ergo quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, quod erat demonstrandum. DIXI IN CREATIS. Nam philosophus expers fidei divinæ, non potuit cognoscere, quæ sunt supra lumen naturæ, qualis est identitas inadæquata, seu distinctio virtualis intrinseca, quam universum in creatis implicare ostendimus loco cit. AXIOMA ITAQUE UNIVERSALE EST, loquendo de praedicatis finitis: VT AUTEM IN DEO VERIFICETUR, sic pronunciandum est: *Quacunque sunt eadem uni tertio adæquate, sunt eadem inter se.* Vnde patet, cùm paternitas non sit idem cum naturâ divinâ adæquate, (idem dico de Filiatione) nihil fieri contra principium Metaphysicum paulò ante allatum, etiamsi non sint eadem inter se, sed realiter distinguantur. Verum hæc fusius explicanda Theologis relinguimus.

XI. VERITAS.

Quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subjecto. Et vicissim: quidquid negatur de prædicato, negatur de subjecto.

Hoc Axioma fundamentum est omnium syllogismorum constantium medio termino communi, sicuti Veritate decimâ nituntur pariter omnes syllogismi, præcipue vero expositorijs. Probatur & quidem ex conceptu identitatis. Si aliquid diceretur de subjecto, & non diceretur de prædicato illi identificato, tunc subjectum & prædicatum discrepant in tertio, sed hoc implicat in creatis juxta suppositionem probata, ergo in creatis implicat aliquid dici de subjecto, & negari de prædicato, quod est identificatum cum subjecto, aut vice versa.

Cæterum ut in divinis procedat, ubi videtur fallere, quandoquidem essentia divina prædicatur de Patre, & de eadem essentiâ affirmatur Filius, neque tamen Filius dicitur de patre, ut, inquam, etiam in Deo procedat, intelligendum est juxta sensum præcedentis veritatis. Nimirum quidquid dicitur de prædicato adæquate accepso, illud ipsum dicitur de subjecto, de quo prædicatum dictum est adæquate. Iam vero de patre adæquate non dicitur tò Deus, sed tantum inadæquate, quod iterum indicare sufficiat.

XII. VERITAS.

Mutua inseparabilitas stare potest cum distinctione reali.

Hoc est: Inseparabilitas sive mutua sive non mutua non est signum identitatis. Probatur: possunt duo esse connexa mutuo inseparabiliter, & tamen in omnibus praedicationis dissentire, sed dissentire quoad omnia praedicata, est in nullo praedicato communicari, & in nullo communicari, est, non esse eadem: ergo duo praedicata mutuo inseparabilia possunt non identificari, ergo de conceptu mutantur inseparabilitatis non est identitas.

Confirmatur: quæcunque sunt mutuo inseparabilia, sunt etiam connexa; Econtra quæ sunt identificata non dicuntur propriè connecti, ergo quæ sunt mutuo connexa, non eò ipso sunt identificata.

Hinc contra aliquos deduces, quamvis separabilitas realis etiam non mutua sit signum infallibile distinctionis realis, è contrario ex mutua inseparabilitate malè inferri identitatem realem. Quandoquidem, ut diximus, possunt esse realiter distincta, quæ realiter separabilia non sunt.

Possem ex conceptu Identitatis alias veritates innumeratas demonstrare, si locus aut tempus permetterent. v. g. Quæcunque opponuntur oppositione dependentiae unius ab alio, distinguuntur realiter. Item: Quo-

vum unum est pro priori, atque alterum pro posteriori natura, realiter distinguuntur. Item: non potest distingui pars à toto inadquate, quin à suā comparte distinguatur adquate. Item: Totum & omnes partes simul sumptae idem omnino sunt.

Verūm his & alijs veritatibus per se satis evidentibus ex nostro fundamento deducendis immorari, nec libet, nec licet. Ideo ad solvendas objectiones progredior.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

Inter alias veritates ex conceptu identitatis deductas est contradictione præcisionum objectivarum. Quæ sententia cum & hodie habeat pro se non paucos AA, & olim fuerit celeberrima, multisque difficultibus in speciem argumentis pro sui veritate decertet, non tantum argumentorum efficaciam, sed etiam objectionum solutione evertenda est, Quod triplici viâ ē totidem fundamentis petita efficerem conabor. Sit igitur

FUNDAMENTVM. I.

Ejusdem penitus objecti dari potest cognitio clarior & minus clara.

Ad hunc scopulum impingunt ferè omnia argumenta aduersariorum, dum perti-

naciter contendunt, à nobis quoque con-
tradictoria debere admitti, eò quod conce-
damus, animalitatem hominis v. g. cognos-
sci posse clare, non cognitâ clare rationalita-
te. Sed quām nihil evincant, paulò post osten-
demus.

Ratio ergo à priori, quòd ejusdem peni-
tus objecti possit dari cognitio clara & confu-
sa, seu minus clara, hæc est: Potest eadem
causa à diversis effectibus diversimodè ina-
dæquate plus vel minus participari, sed co-
gnitio est effectus objecti, ergo cognitio po-
test suum objectum plus vel minus participa-
re, sed cognitio minus participans objectum
est obscurior, & minus clara ejusdem repræ-
sentatio, & cognitio magis participans est ob-
jecti distinctior ac clarior repræsentatio, ergo
diversis cognitionibus inest minor aut major
claritas objecti, quod erat probandum.

Major propositio nostræ probationis, quòd
nimirum diversi effectus diversimodè parti-
cipent suam causam, est certa. Sic enim An-
gelus, homo, equus à toto Deo procedunt,
inæqualiter tamen Deum participant, cùm
enim creaturæ sint entia limitata, totum
Deum imitari non possunt, nec eidem peni-
tius assimilari: Vna tamen magis imitatur,
quām altera. Angelus v. g. magis assimila-
tur simplicitati divinæ, quām homo, quan-
doquidem Angelus licet adhuc sit composi-
tus ex subsistentiâ & naturâ, non tamen ex

ma-

materiâ & formâ, sicut homo. Sic quoq; esse-
tus hominis inadæquatè participant hominé,
cognitio v. g. spiritualis magis, quàm visio
materialis, quod est extra controversiam.

Hæc de Majore, minor à nemine nega-
tur. Ergò certum est, ejusdem penitus ob-
jecti dari posse diversas cognitiones, sicut
ejusdem omnino causæ diversos effectus.
Imò sicut quilibet effectus, quantumcunque
parùm participet suam causam, à tota tamen
illius entitate, producitur, ut adversarij,
quibuscum nobis controversia est, nobiscum
sentiunt: visio v. g. non tantùm procedit à
vitalitate animæ, sed ab omnibus illius præ-
dicatis, spiritualitate videlicet, & rationalita-
te cæterisque. Ita cognitio, quantumcun-
que tenuis sui objecti sit assimilatio, velut
tamen à toto objecto physicè producitur, sic
pariter totum intentionaliter refert.

Vnde vehementer miror, non neminem per-
suadere velle implicantiam præcisionum for-
malium, eò quòd hæc sententia nolens vo-
lens debeat admittere contradictoria, videli-
cet eâdem determinatâ claritate cognosci a-
nimalitatem, & non cognosci rationalitatem,
quod longè abest à nobis, ac falsò impu-
tatur. Sicut enim visio æquè procedit à ra-
tionalitate quàm animalitate, ita cognitio
animalitatis fertur tam in rationalitatem,
quàm animalitatem, licet non assimiletur
rationalitati: sicut iterum visio oculi non

participat rationalitatem. Veluti ergo per hoc,
quod admittamus visionem participare ani-
malitatem, & non spiritualitatem, licet spiri-
tualitas hominis & animalitas sint eadem rea-
liter entitas : sicut, inquam, propterea nul-
lus adversariorum nos contradictoriorum in-
simulat , eò quod visionem participare ani-
malitatem, & non spiritualitatem nihil aliud
fir , quàm visionem esse hanc numero par-
ticipationem de homine , non verò ullam
aliarum participationum , esse nimurum vi-
sionem , non verò auditionem , aut nutritio-
nem &c. in quo nulla prorsus est contradi-
ctio. Ita pari ratione nemo nobis imponat
contradictoria , dum concedimus claritatem ,
quæ est imago totius hominis, esse hanc nu-
mero claritatem, non verò aliam numero cla-
ritatem B, C, D, &c.

Nihil magis jam optarem , quàm funda-
mento hoc in particulari ad solvendas objec-
tiones ac retorsiones adversariorum uti, sed
restringenda sunt verba juxta chartæ Angu-
stias. Sufficiat ostendisse , unde proveniat
diversa claritas actuum versantium circa
idem penitus objectum, quod
quidam R.R. petijt.



FVN-

FUNDAMENTVM. II.

Cognitio Abstractiva.

Certum est apud omnes pauca à nobis, quamdiu in hoc corpore versamur, intuitivè cognosci, quia valde paucarum rerum solorum ferè accidentium, quæ sensibus externis percipimus, species habemus proprias. Econtra Dei, spirituum, substantiarum, prædicatorumque ijsdem identificatorum proprias species non habemus. Vnde fit, ut ista omnia cognoscamus abstractivè & ænigmaticè, sub ænigmate videlicet seu phantasmate alterius rei, cujus proprias habemus species, Angelos v. g. per modum Iuvenia alati, Deum sub specie Regiæ Majestatis, ejusdem sapientiam sub ænigmate sapientis aliquius creati, potentiam per ænigma potentis creati, & sic de cæteris. Hinc ad rem nostram omnibus objectionibus Adversariorum, quibus conantur evincere supra eandem realiter entitatem cadere contradictoria, uno verbo satisfacio, &

Dico : Quandocunque verificatur cognosci, & non cognosci, discerni, non discerni, & similia prædicata, ea non cadere supra eandem realiter entitatem, sed supra diversa phantasmata ac ænigmata v. g. cognoscere, me animalitatem non cognitâ rationalitate nihil aliud est, quām cognosci à me ænigma ani-

animalitatis non cognito ænigmate rationalitatis, quæ non sunt contradictionia, quia ænigmata realiter inter se distinguuntur. Nam licet tam rationalitas, quam animalitas per species alienas attingantur, abstractivè videbile, cum de præsenti statu intuitivè cognosci nequeant: illæ tamen species sunt species propriæ diversorum accidentium, v.g. sub accidentibus animalis repræsentatur mihi animalitas, & sub accidentibus humanis imaginor mihi rationalitatem. Quod si tu aliter phantasticaris, parùm labore, modò mihi concedas, ut negare non potes, intellectui meo sub alio quasi velo obijci rationalitatem & sub alio animalitatem propter species alienas, quæ has formalitates non in se, sed per modum alterius repræsentant.

Quandocunque ergo dividis formalitates realiter identificatas, non dividis per intellectum, quod realiter est indivisibile, ut evidens est ex nostris probationibus, sed dividis ænigmata realiter diversa, sub quibus latet illa prædicata, & quidem sub quolibet latet omne id, quod est realiter identificatum cum eo, cuius est ænigma, v.g. sub ænigmate animalitatis latet eodem modo animalitas & rationalitas, & eodem modo sub ænigmate rationalitatis utraque latet, quia quodlibet ænigma toti entitati substituitur.

Neque dicas primò: hinc sequi, quod hujus propositionis, animalitas est rationalitas, sensus

sus sit, ænigma animalitatis est ænigma rationalitatis. Nam sicut, quando Angelum per modum juvenis alati concipio, non propterea affirmo esse juvenem alatum, sed juvenis alatus est h̄ic & nunc objectum motivum solumento, sub quo in Angelum fertur mea cognitio, sic etiam objectum motivum, sub quo feror in totum hominem, est ænigma animalitatis, aut rationalitatis. Neque propositio verificatur de ænigmatis, sed de ijs, quorum sunt ænigmata. Veluti h̄ec propositio, homo est animal rationale, non afferit vocem tò homo esse vocem tò animal rationale; hoc enim falsum est, sed id, pro quo supponit vox homo, ait esse idem cum eo, pro quo supponit vox animal rationale. Haud aliter propositio h̄ec, animalitas est rationalitas non verificatur de ijs, quæ substituuntur animalitati & rationalitati hominis de ænigmatibus videlicet, sed de ijs, quorum vicaria ac substituta sunt ænigmata.

Neque dicas Secundò. Hanc explicacionem supponere præcisiones objectivas potius, quam formales, eò quòd ænigmata, de quibus loquimur, se teneant ex parte objecti. Non, inquam, hoc dicas, est enim mera nominis quæstio: si ita velis vocare, non abnuo, de re convenimus. Nihilominus horreo nomen præcisionum objectivarum, quia sub hoc nomine admittitur eandem realiter entitatem

co-

cognosci & non cognosci , quod mihi sup-
positis meis fundamentis placere non po-
test.

Ex hoc ergò fundamento æquè omnes, ac
fortè facilius solvi possunt objectiones ad-
versariorum , quām ex fundamento primo
hujus §. Ostendo in exemplo. Volunt ad-
versarij de intellectu & voluntate identifica-
tis verificari contradictoria extrinseca , posse-
que cognosci intellectum , non cognitā vo-
luntate. Item posse intellectum tendere in ve-
rum , quin tendat in bonum proprietates en-
tis realiter identificatas. Ad quod respondeo,
tam voluntatem quām intellectum tendere
realiter , in totum objectum , non verò for-
maliter , quod juxta hanc viam nihil aliud
est , quām intellectum concipi sub alio æni-
gmate , & voluntatem sub alio. Cùm enim
intellectus distinguatur à voluntate per diver-
sum modum tendendi (nam voluntas tendit
in objectum èxeundo quasi ad illud , ipsique
se intentionaliter identificando. Intellectus
econtra fertur in objectum , illud ad se attra-
hendo , ipsumque in se potius commutando
intentionaliter , quām se transmutando in illud)
inde fit primò , quòd voluntas amando rem se
indignam ac viliorem , deterioretur , quia in-
tentionaliter naturam ipsius objecti induit ,
non verò intellectus : Sed potius ab intel-
lectu melioratur objectum , nam si est mate-
riale , illud intellectus in se transmutando in-
ten-

tentionaliter, dat illi melius esse extrinsecum & intentionale, spiritualitatem videlicet, quām habeat ab intrinseco. Inde sit secundò, quod est ad rem nostram, nempe quòd intellectus concipiatur à nobis sub ænigmate attractentis, voluntas verò sub ænigmate ex euntis ad objectum. Quæcunque ergò affers contradictoria, illa solumodò cadunt supra hæc phantasmatu. Vnde quomodo cunque distinguas voluntatem ab intellectu, negando aliquid de hoc, non verò de illa, aut vicissim, tantùm separas unum phantasma ab altero. Pari ratione verum concipitur sub ænigmate attracti ab intellectu, & bonum sub phantasmate metæ ac termini, ad quem voluntas exeat illi se uniendo. atque intentionaliter identificando.

FUNDAMENTVM III.

Diversa Cornotata.

NOstræ sententiæ A A. communiter ex hoc tertio fundamento soluunt objectiones adversariorum, quod melius declarari non potest, quām per exemplum. Itaque hoc modo obijciunt : Quando video de longè Petrum moveri, nondum tamen cognosco, quod sit petrus, tunc cognosco animalitatem, & non cognosco rationalitem Petri. Item discerno Petrum ab omnibus inanima-
tis, non verò ab animatis, possum rationem red-

reddere de viso animali , non verò de viso rationali: sed discernere , & non discernere , posse rationem reddere , & non posse , cognoscere , & non cognoscere , sunt contradic-
toria versantia circa eandem realiter entita-
tem . ergò dari possunt contradictoria extrin-
seca , seu præcisiones objectivæ , & conse-
quenter non satis omnia explicantur per præ-
cisiones formales.

Respondeo distinguendo Majorem : in
tali casu cognosco animalitatem , non verò
rationalitatem quoad eandem realiter entita-
tem , ipsa videlicet recta , nego : cognosco , &
non cognosco quoad diversas realiter entita-
tes , ipsos videlicet obliquos , qui sunt reali-
ter diversi , concedo Majorem . & distingo
minorem : cognoscere & non cognoscere eam-
dem rem sunt contradictoria , concedo : co-
gnoscere & non cognoscere entites realiter
diversas , sunt contradictoria , nego minorem ,
& consequentiam . Alij aliter distinguunt ;
In allato casu cognosco animalitatem aliquā
claritate , & aliqua aliā claritate non cognosco ,
seu cognosco animalitatem cognitione A , &
non cognosco eandem cognitione B , concedo
Majorem . cognosco animalitatem aliquā cla-
ritate cognitione A , v. g. & eadem clari-
tate non cognosco , nego Majorem . Et distin-
guunt eodem modo minorem , cognoscere ,
& non cognoscere eādem claritate , sunt con-
tradictoria , concedunt , cognoscere , & non

cognoscere diversâ claritate , sunt contra-
dictoria , negant minorem & consequen-
tiā.

Hæc responsio coincidit cum nostrâ , nam
illa cognitio est clarior alterâ , quæ plura con-
notata cognoscit : hinc cognitio explicans
petrum ad sensationes & ratiocinationes , est
clarior illâ , quæ explicat eundem ad solas
sensationes . Vides , quomodo aliquâ clari-
tate , v. g. claritate animalis cognoscere pe-
trum , sit præter entitatem petri totam in re-
sto cognitam cognoscere etiam unum conno-
tatum in obliquo , sensationes videlicet , &
aliâ claritate v. g. rationalitatis non cogno-
scere sit , cognoscere quidem totam entitatem
Petri , non tamen cognoscere ratiocinationes ,
quæ sunt à sensationibus distinctum realiter
connotatum.

Dices cum P. Comptono . Talis produci-
tur effectus , qualis est causa vel formaliter ,
vel virtualiter , aut eminenter . atqui si video
de longè petrum , species productæ à sensa-
tionibus non conducunt ad cognitionem ra-
tionalitatis producendam , utpote quam nul-
lo modo continent , ergò non producitur
cognitio rationalitatis , sed solius animalita-
tis . Respondeo , species illas conducere ad
rationalitatem manifestandam , quatenus vir-
tualiter continent cognitionem rationalitatis ,
ad quam producendam concurrunt cum in-
tellectu . Ratio est , quia cùm sensationes pe-
trum

tri indivisibiliter procedant ab animalitate & rationalitate (ut ipsi adversarij nobiscum contra distinctionem virtualem intrinsecam majorem sentiunt) poterunt etiam concurre ad speciem, quæ sicut processit à sensatione, utriusque formalitatis indivisibili effectu, ita etiam causet cognitionem utriusque, sic tamen, ut clarè repræsentetur animal, non verò rationale.

Vrgebis: Cognitione A v.g. clarè repræsentari animal, & eâdem cognitione A non clarè repræsentari animal, sunt æquè contradictoria, ac cognosci, & non cognosci, ergò quidquid tandem dicatur, admittendæ sunt præcisiones objectivæ Respondeo cum distinctione: sunt contradictoria, si cadant supra eandem realiter entitatem, concedo, si supra diversas realiter entitates, nego antecedens, & consequentiam. Iam autem dixi, quod eâdem claritate attingatur tam rationale quam animal quoad recta, non verò quoad obliquos: adeoque si admitto, animal clarè cognosci, & non clarè cognosci rationale, sensus est, præter animalitatem & rationalitatem cognitas eodem modo quoad recta cognosci etiam sensationes, non verò ratiocinationes: in quo nulla est contradictione, quandoquidem hæc connotata, supra quæ cadit, unum cognosci, & non alterum, sunt realiter diversa. Et hinc sit, quod possim rationem reddere de animalitate

cognita, non verò de cognitiâ rationali-
tate.

Replicabis, si quis in casu allato ex te quæ-
rat, cognovistine animalitatem? responde-
bis affirmativè. Si quærat ulterius, cogno-
vistine etiam rationalitatem petri? respon-
debis negativè. Ergò ipse fateris, quod co-
gnoveris animalitatem, non cognitâ rationa-
litate. Respondeo iterum juxta datam di-
stinctionem: non cognovi rationalitatem in
obliquo, concedo, in recto; nego: quia verò,
non cognovi ratiocinationes, ideo non pos-
sum rationem reddere de cognitâ rationali-
tate. Quod si nequa sensationes cognovis-
sem, nec de animalitate possem rationem
reddere. Tota ergò res juxta hoc funda-
mentum dependet à connotatis & obliquis.
Replicas P. Lyncæi, & argumenta F. Iz-
quierdo, si locus fuerit, in ap-
pendice refere-
mus.



A P-

APPENDIX.

VOlebam hic afferre omnes objectiones ad versariorum, quotquot unquam audicissem aut legisset, usque pro scribus satisfacere ex allatis fundamentis; sed quia non omnes charta capit, sufficiet unam alteramque proposuisse. Itaque

Obiectio 1. Hac propositio animalitas formaliter est animalitas, est vera; hac quoque vera est, rationalitas non est formaliter animalitas; sed hac sunt contradictoria, ergo universim contradictoria saltem extrinseca negari non possunt. Respondeo, allatas propositiones non esse contradictorias, quia non versantur circa idem objectum, faciunt enim sensum formalem, ne patet ex particulâ tò formâne auxuncta. Prima ergo propositio in sensu est, cognitio explicans animalitatem ad sensationes, est cognitio eam comparans ad sensationes, quod est idem sicum & nimirū verum. Alterius econtra propositionis sensus est: cognitio explicans rationale ad ratiocinationes, non est cognitio eandem explicans ad sensationes, quod iterum est verissimum. Ecce! utraque propositio est vera, non tamen contradictoria, quia non habent idem objectum: nam cognitio sensationum est realiter distincta à cognitione ratiocinationum.

Eodem modo in sensu reals false, & in sensu formali vera sunt sequentes propositiones. Homo rationalitate non sentit. Deus vo-

lun.

funtate non intelligit. Dei justitia non mi-
seretur.

Obijcies 2. Qui dicit, rationalitas est princi-
pium dicurrendi , vel dicit ex parte objecti
idem cum eo, qui dicit, animalitas non est prin-
cipium discurrendi , vel non dicit idem. Re-
spondeo quod non dicat idem. Infers : ergo ha-
beo intentum , nempe aliud esse objectum prio-
ris & aliud postoris propositionis. Sed nego
suppositum ; nam objectio supponit, dictas pro-
positiones habere pro objecto solam animalita-
tem, quod falsum est, si vere probata est im-
plicantia præcisionum objectivarum. In mea
ergo sententiâ nondum eversâ dictæ proposicio-
nes iterum facient sensum formalem, & ha-
bent pro objecto non res solas , verum etiam
cognitiones directas rerum. Sensua ergo allata
propositionis: animalitas non est principium
discurrendi, ut vera sit , hic est : animalitas
comparata ad sensationes non est animalitas
comparata ad ratiocinationes. Ecce ! diver-
sum objectum , neque tamen adversarius ha-
bet intentum.

Obijcies 3. qui videt aut cognoscit partem,
non hoc ipso cognoscit aut videt totum , ergo
qui videt animalitatem , non eo ipso cognoscit
totum hominem. Deinde rationalitas est quid-
dam aliud, quo abundat species à genere, cun-
nihil abundet à seipso : ergo &c.

Respondeo , antecedens esse verum de parte
& toto phisico , non autem metaphysico , de
quo

quo hic loquimur. Id quod additur falso est, si tò abundare cadat supra genus ac speciem fundamentaliter acceptam; verum autem, si intelligatur de formalis generis ac speciei, quod in mea sententia est unitas prae-
cisa. Sensus ergo exiomaticus allat differentia est id, quo species abundat à genere, hic est. Conceptus differentia est id, quo species abundat à conceptu generico, quia videlicet per conceptum differentiale determinatur conceptus genericus ad constituendam speciem, quod explicazione ulteriore non indiget.

Obiectus 4. In hoc actu aliquod animal est rationale, tò rationale (quod est prædicatum) cognoscitur clare sub determinata claritate rationalitatis: animal vero (quod est subjectum) non cognoscitur clare sub eadem claritate, sed animal & rationale sunt unum indivisibile obiectum, ergo &c.

Respondeo: Si claritatem rationalitatis explicem per connotata aut phantasmata juxta fundamentum 2. & 3. patet arguments inefficacia. Quod si vero non confugiam ad obliquos aut anigmata, adhuc nihil probat, quia rationale ex parte subjecti non cognosci clare, cognoscatur autem clare ex parte prædicati, tò ex parte subjecti, & ex parte prædicati faciunt sensum formalem & reduplicatum, ut sensus sit: hac numero cognitio A reflexa supra actum, qui dicit, aliquod animal est rationale, non est cognitio B reflexa supra eundem actum. Ecce & que contradiccio?

Parerga ex Logica.

Logica objectum est secunda intentio.

Objectum materiale sunt res ipsa.

Objectum formale Logica est rerum esse intentionale, sive cognitio.

Objectum attributionis & principalitatis in Logica est definitio.

Pars est, quod immediatè ponitur in definitione totius.

Non dantur hypotheses impossibilis utiles in sensu primo intentionali.

Implicat nova denominatio sine nova parte.

Illud importatur in recto, quod est pars concreti perfectior formaliter. In obliquo contra venit, quod est pars concreti formaliter imperfectior.

Concretorum accidentalium rectum universum est subiectum; concretorum vero substantialium tam natura quam persona rectum est natura, excepto Christo & Deo.

Concreta qualiacumque multiplicantur multiplicata recto explicito, vel recto implicato, si explicitum desit rectum.

Universale est unum aptum inesse multis.

Unitas universalis est praecisa.

Manet in actuali predicatione.

Implicat darsi universale à parte rei.

Deus non potest facere universale.

Possunt Angeli & anima rationalis.

17. Non Verò bruta aut potentia materiales.
18. Quinque sunt praedicabilia.
19. Genus & differentia praedicatur inco-
plete, hac ut pars formalis, illud ut pars m-
aterialis. Species Verò ut tota essentia.
20. Discrimen proprium inter & accidens ei-
quod proprium praedicetur in quale neceſſi-
tio & convertibiliter. Accidens Verò in qui-
le contingenter.
21. Veritas est denominatio partim intrinſec-
partim extrinſeca.
22. Non potest una cognitio esse altera Verior
23. Evidentia suscipit magis & minus.
24. Non semper licet argumentari à sensu di-
ſtributivo ad collectivum.

Cum facultate Superiorum.

